RosDok Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Gottlieb Möller Christian Dietrich Haltermann

Observationum Philologicarum, Quibus & Amplissimus Literaturae Graecae In Studio Antiquitatis Ecclesiasticae Usus, manifestatur, & Quinque Adminicula, Ad Interpretandos Feliciter Graecos Pariter Ac Latinos Patres, communicantur, Exemplisque illustrantur, Pentadem, Disputatione Philologica

Rostochii: Riechelius, 1697

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732463483

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

R u phil 1697

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732463483/phys_0001
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn732463483/phys_0002
DFG

JESU GRATIA MODERANTE!

OBSERVATIONUM PHILOLOGICARUM,

Qvibus & AMPLISSIMUS LITERATURÆ GRÆCÆ IN STUDIO ANTIQVITATIS ECCLESIASTICÆ USUS, manifestatur, & QVINQVE ADMINICULA, AD INTERPRETANDOS FELICITER GRÆCOS PARITER AC LATINOS PATRES, communicantur, EXEMPLISQVE illustrantur,

PENTADEM,

DISPUTATIONE PHILOLOGICA,

d. XXI. Junii A. O. R. M. DC. XCVII.

IN MAJORI ILLUSTRIS ROSTOCHIENSIUM UNIVERSITATIS AUDITORIO,

placidis Eruditorum censuris subjiciendâ,

PRÆSIDE

M. JOH. Gottlieb MOLLERO,

Gedanensi.

SS. Theol. Ddo, Gr. L. in Universitate Rostochiensi ac Philosophiæ Primæ Practicæqvè in Athenæo Gedanensi Professore Ordinario, & Bibliothecario,

expendet

CHRISTIANUS DIETERICUS Haltermann / Rostochiensis,

ROSTOCHII,

Typis JACOBI RIECHELII, Ampliss. Senatûs Typograph.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732463483/phys_0003
DFG

ILLUSTRI. VIRORUM. TRIGÆ.
MAGNIFICIS. PRÆ-NOBILISSIMIS. EXCELLENTISSIMIS.

DN. CHRISTOPHORO Redecker.

JCTO. CELEBERRIMO. INCLUTÆQVE. ROSTOCHIENSIUM. REIPUBLICÆ. CONSULI. GRAVISSIMO.

DN. FRANCISCO. WOLFFIO.

DOCTORI. THEOLOGO. SUMME. VENERABILI. HACTENUS. PROFESSORI. THEOL. IN. UNIVERSITATE. ROSTOCHIENSI. MERITISSIMO. ÆDIS. MARIANÆ. PASTORI. VIGILANTISSIMO. ET. SUMME. REVERENDI. MINISTERII. DIRECTORI. FIDELISSIMO. NUNC. VOCATO. APUD. HAMBURGENSES. PASTORI. NICOLAITANO. DIGNISSIMO.

DN. BERNHARDO. Barnstorff.

MEDICINÆ. DOCTORI. AC. PROFESSORI. IN. LAUDATA. UNIV. ET. POLIATRO., EXPERIENTISSIMO.

DOMINIS. SUIS. PATRONIS, & MÆCENATIBUS. OPTIMIS. MAXIMIS.

SPECIMEN. HOC. PHILOLOGICUM.
CUM. ARDENTISSIMO. OMNIGENÆ. PROSPERITATIS.
AC. PERENNANTIS. IN. SE. FAVORIS. VOTO.

D. D. D.

C. D. Waltermann.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn732463483/phys_0004
DFG

PROOEMIUM.

I.

LAudabile qvotqvot cum Hieronymo (a) fovent *propositum, post scripturas, antiqvos legendi, probandi singula, retinendi, qvæ bona sunt, & à fide catholica nunqvam recedendi*; sedulam antiqvitatis ecclesiasticæ Scriptorum, qvos PATRES vulgo appellamus, Lectionem, non commendatam modo maximopere sibi habent, sed de adminiculis etiam, genuinum verborum, qvibus usi fuere, sensum, feliciter assequendi, mentemqve Auctorum adeo ex ipsâ eorum intentione percipiendi, merito solliciti vivunt.

II. Eruditorum, in exponendis Patrum Scriptis qvi præ aliis desudarunt, monumenta si consulamus, vix ea inter manuductiones sese offerunt, qvibus regulæ de optima Patres interpretandi ratione præscribuntur, qvamvis non desint præclaræ Patrum expositiones, tam in generalibus qvibusdam observationibus, qvam specialibus, ad hunc illumve Patrem annotationibus reconditæ, qvas ubi sedulus antiqvitatis cultor sollicite expendit, ulla sine difficultate, vel ipsemet sibi Hermeneuticam, ut ita loqvamur, Patristicam poterit formare.

III. Laudantur hoc fine Cave (b) *clarissima in rebus litterariis nomina*; *Cranmerus*, *Ridlejus*, *Parkerus*, *Juellus*, *Noellus*, *Humfredus*, *Whitgiftus*, *Reynoldus*, *Whitakerus*, *Hookerus*, *Richardus & Joannes Cosini*, *Bilsonus*, *Brancoftus*, *Sutlivius*, *Downamus*, *Perkinsius*, *Andreusius*, *Cocus*, *Robertus & Georgius Abboti*, *Fieldus*, *Buckrigius*, *Overallus*, *Whitus*, *Willetus*, *Nic. Fullerus*, *Cracanthorpus*, *Davenantius*, *Serenissimus Rex Jacobus*, *Laudus*, *Featlejus*, *Linsellus*, *Junius*, *Masonus*, *Wardus*, *Brunrigius*, *Chillingworthus*, *Holdsworthus*, *Hallus*, *Halesius*, *Usserius*, *Heylinus*, *Prideauxius*, *Mortonus*, *Montacutius*, *Gregorius*, *Sandersonus*, *Hammondus*, *Taylerus*, *Thorndicius*, *Isaacus Barrow*, *Fellus*, *Gunningus*, *Pearsonus*, *Savilius*, *Seldenus*, qvibus merito è nostratibus jungere possumus, Chemnitium, Gerhardum, Danhauerum, Bebelium, Arndium, Hildebrandum,

(a) *Ep.* 152. (b) *Historiæ Literariæ Prolegomenis* Sect. 7.

dum, G. T. Meierum, Kortholtum (c), Sagittarium, ut eorum, qvi hodienum invivis verſantur pudori parcamus; qvemadmodum & ſua non defraudandi laude ſunt e Reformatis, Rivetus, Suicerus, Dallæus, Blondellus, & ex Pontificiis, Eraſmus, Ducæus, Sirmondus, Petavius, Valeſius, Huëtius, du Freſne, Lud. Ellies du Pin, aliiqve plures, qvorum ubi ſcripta Hiſtorico-Eccleſiaſtica leguntur accuratius, in promptu erunt ſubſidia, ad inveſtigandam Patrum mentem, manu qvaſi ducentia lectores.

IV. Speciminis loco, OBSERVATIONUM nunc PHILOLOGICARUM, à laudatis ante Scriptoribus in interpretando Patrum textu haud infreqventer adhibitarum, communicabimus PENTADEM, qvæ adminicula qvinqvè ad intelligenda Patrum ſcripta, & loca in iis difficiliora feliciter interpretanda ſuppeditabit, ampliſſimumq; ſimul Literaturæ Græcæ in ſtudio Antiqvitatis Eccleſiaſticæ uſum demonſtrabit luculenter. Sit igitur DIVINO ſub MODERAMINE.

OBSERVATIO I.

SEDULAM PATRUM INTER SE, AC LATINORUM PRÆCIPUE CUM GRÆCIS COLLATIONEM commendans.

I. QVos poſt tempora Apoſtolorum *ſanctos & doctos Viros, fama totius Eccleſiæ conſtante Catholicos, qvi ante nos, non ſolum ſermone cum hic viverent, verum etiam ſcriptis, qvæ poſteritati relinqverent, fidem Catholicam ſtrenue defenderunt*; (ceu eos (a) deſcribit Auguſtinus;) orthodoxa divinitus accepit eccleſia, communi nomine PATRES appellare ſolemus, qvoniam, qvos ſuis qvondam temporibus, cariſſimorum ad inſtar filiorum,

(c) Qvi Hiſtoriam condere in animo habebat Eccleſiaſticam, inſtar Commentarii futuram, ad omnes, Græcos pariter ac Latinos omnium temporum Patres, ſed præmaturâ Auctoris incomparabilis morte Eccleſiæ prohdolor ereptam.

(a) LIV. *contra2. Ep. Pelagii* C. 12. & *L. II. contra Julianum Pelagian. in epilogo.*

Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn732463483/phys_0006 DFG

rum, commendatissimos sibi habuit antiqvitas, filiali merito pietate, ceu Patres veneratur posteritas, qvippe qvæ agnoscit cum Basilio (b): qvod *veneranda sint vetusta dogmata, qvodq; ob antiqvitatem ceu canitiem qvandam, habeant qviddam reverendum*; ipsi etiam fidelissimi dogmatum custodes, qvia (c) *non attulerunt stateras dolosas, ubi appenderent, qvod volunt, & qvomodo volunt, pro arbitrio suo, dicentes, hoc grave hoc leve est, sed attulerunt divinam stateram de Scripturis S. tanqvam de thesauris dominicis, & in illa qvid sit gravius appenderunt, imo non appenderunt, sed à Domino appensore cognoverunt*; ob plusqvam paterna hæc beneficia colendi sint & imitandi.

II. Qvamvis verò, ut una Christi est Ecclesia, sic una qvoqve fides catholica, unanimi Patrum consensu servata fuerit ac posteritati tradita, usu tamen obtinuit, Ecclesiam à loco, qvi domicilium ei præbuit, in Græcam & Latinam, ipsosqve Ecclesiæ Doctores, in Græcos dispescere & Latinos Patres, qvorum illi, Græcos inter, fidem catholicam prædicarunt, scriptisqve Græco originaliter idiomate consignatis, explicarunt; hi Latinis præfuerunt, inqve conscribendis operibus suis latina usi linqva deprehenduntur.

III. Una interim, uti jam jam monuimus, fides, à Latinis pariter ac Græcis Patribus cum servata fuerit & propugnata, ex collatis inter se variorum Patrum voluminibus eandem juvabit enucleare; cumq; Patres Latini Græcorum & Græci Latinorum scripta sibi habuerint commendata, nec sollicitè modo legerint, verùm & in succum, qvod ajunt, & sangvinem converterint, sedula in specie Græcorum & Latinorum Patrum collatio, haud exiguum

(b) *De Sp. S. c. 29.* (c) ut ait Augustinus L. II. *De Baptismo c. 6.*

ſuppeditare poteſt adminiculum, & totius mentem eccleſiæ cognoſcendi, & ſcripta Græcorum pariter ac Latinorum interpretandi atqvè intelligendi.

IV. Exemplis id docere pluribus poſſemus, ſi ſcopi ratio concederet, inſtar omnium interea nunc ſit TERTULLIANUS, *apud Latinos, ſicut Origenes apud Græcos*, judice Vincentio Lirinenſi (d), (dum erat orthodoxus;) *Doctorum omnium ſui temporis, facile Princeps judicandus.* Hic, cùm *in eloqvendo parum facilis & minus comptus, & multum obſcurus ſit*, ceu ſuo jam ævo agnovit Lactantius (e), haud parum lucis accipere poteſt, ſi cum Patribus Græcis, qvippe ex qvibus multum omninò profecit, conferatur.

V. Speciminis loco ſufficiat illuſtris locus, qvo humanæ in Chriſto naturæ veritatem, contra hoſtes ejus, hæreticos, defenſurus, & Chriſtum qvoad naturam utramq;, divinam & humanam conſideraturus, *Ita utriusq;*, inqvit (f), *ſubſtantiæ cenſus hominem & DEum exhibuit; hinc natum, inde non natum; hinc carneum, inde ſpiritualem; hinc infirmum, inde præfortem; hinc morientem, inde viventem. Qvæ proprietas conditionum divinæ & humanæ, æqva utiqve naturæ veritate cujusq; diſpuncta eſt, eadem fide Spiritus & carnis; virtutes ſpiritum DEI, paſſiones carnem hominis probaverunt. Si virtutes non ſine ſpiritu, proinde & paſſiones non ſine carne. Si caro cum paſſionibus ficta, & ſpiritus ergo cum virtutibus falſus. Qvid dimidias mendacio Chriſtum? totus veritas fuit.*

VI. Dubium hic oriri poteſt lectori, circa illam Tertulliani profeſſionem, qvæ Chriſtum HINC, id eſt qvoad humanitatem, NATUM, INDE, ſeu qvoad divinitatem, NON NATUM deprædicat, cùm tamen ſcripturâ præeunte ex

(d) *Commonit.* c. 24. (e) De juſtitia lib. V. c. 1. (f) *De Carne Chriſti* C. 4. & 5.

ex fide Symboli Apostolici credamus: *in JEsum Christum Filium DEI unicum*; seu, ut Symbolum exponit Nyceno-Constantinopolitanum: *in unum Dominum JEsum Christum, Filium DEI unigenitum, & ex Patre natum ante omnia Secula: DEum de DEO, lumen de lumine, DEum verum de DEO vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per qvem omnia facta sunt.*

VII. Sed facilis adest solutio, si conferamus Tertullianum cum Ignatio, hunc in modò de mysterio eodem scribente (g): εἷς ἰατρός ἐστιν σαρκικός τε καὶ πνευματικός, γέννητος καὶ ἀγέννητος, ἐν σαρκὶ γενόμενος, θεὸς ἐν ἀθανάτῳ ζωῇ ἀληθινῇ, καὶ ἐκ Μαρίας καὶ ἐκ θεοῦ, πρῶτον παθητός, καὶ τότε ἀπαθής. i. e. ex translatione veteri: *Unus Medicus est, carnalis & spiritualis, genitus & ingenitus, in carne factus DEus, in immortali vita vera, & ex Maria & ex DEO, primo passibilis, & tunc impassibilis, Dominus Christus noster.*

IIX. Ecqvis enim non videt manifestò, Verba Ignatiana in mente Tertullianum habuisse, imo ferme in idioma latinum transtulisse. Qvi enim Ignatio dicitur σαρκικὸς καὶ πνευματικός; Tertulliano audit *hinc carneus, inde Spiritualis*; qvi Ignatio ἐν σαρκὶ γενόμενος, θεὸς ἐν ἀθανάτῳ ζωῇ; Tertulliano est *homo & DEus; hinc moriens inde vivens*; qvi Ignatio γεννητὸς καὶ ἀγέννετος; is Tertulliano *hinc natus inde non natus*, id est hinc FACTUS INDE NON FACTUS prædicatur (h), juxta interpretationem Athanasii, hunc in modum commentantis (i): *Persuasum habemus & B. Ignatium recte scripsisse cum γεννητὸν*, seu *factum illum*

 (Filium

(g) *Epistolâ ad Ephesios.* p. 21. Ed. Vossianæ. (h) Patribus enim Græcis, præcipue Ante-Nicænis, promiscuè haud rarò usurpantur vocabula: γεννητὸς & γεννητὸς itemqvè ἀγένητος & ἀγέννητος, qvanqvam, qvi post tertium vixere seculum, accuratius distingvant. (i) De Synod. Arim. & Seleuc.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn732463483/phys_0009
DFG

(Filium DEI) *vocet, propter carnem, ſiqvidem Chriſtus Caro factus eſt ; ἀγένητον, non factum verò, qvoniam non eſt ex creaturarum numero; ſed Filius ex Patre. Non autem ignoramus, eos qvi dixere unum eſſe ἀγένητον, Patrem intelligentes, οὐχ ὡς γενητὸν καὶ ποιήματι ὄντι τὸν λόγον εἶναι ἔγραψαν, non eo animo ſcripſiſſe, qvaſi verbum creatum, hoc eſt, factum aut opus eſſe vellent; ſed ideo, ut oſtenderent Patrem ſui Auctorem non habere, qvin & ipſum, Patrem eſſe Sapientiæ, & omnia genita, hoc eſt, qvæ facta ſunt, in Sapientia feciſſe;* QvoPræſulis venerandi ad Ignatium Tertullianumq; commentario, hanc obſignamus obſervationem, qvam excipit:

OBSERVATIO II.

ACCURATUM, VARIANTIUM ACCEPTIONUM, QVIBUS UNUS IDEMQVE GAUDET, INDEQVE DIVERSI MODE AD SUMMA ETIAM FIDEI MYSTERIA APPLICATUR, TERMINUS, SCRUTINIUM, inculcans.

I. QVamvis ſingula, homini Chriſtiano creditu factuqve neceſſaria in venerando Scripturæ Canonicæ codice, tam plenè planeqve deprehendantur conſignata, ut nec voces aut phraſes, iis, qvas Spiritus S. ipſe uſurpavit, aptiores qværi & inveniri poſſint; eâ tamen eccleſia gaudet auctoritate, divinitus ſibi conceſſâ, ut præter terminos, formaliter Biblicos, ad exprimendam Spiritus S. de dogmatibus fidei mentem, alios qvoq;, virtualiter tamen Biblicos, comendare poſſit, ad retegendum & conſtringendum Hæreticum, qvi mentem Spiritus S. utut phraſibus in ſcriptura aptiſſimis clariſſimisqve expreſſam, men-

(a) v. ſi placet Dodecas noſtra Diſpp. Metaph. Gedanenſ. diſp. 3---10.

mentem esse Spiritus S. negat, alienamqve, ipsis verbis vim faciens, DEO mentem affingit, terminos contra ecclesiasticos, id est, non formaliter, seu qvoad verba, sed virtualiter, seu qvoad rem Biblicos, ubi suis opponi erroribus agnoscere cogitur, tacitus heterodoxiæ suæ confessor evadit (a).

II. Nata hinc sunt vocabula tot ecclesiastica, qvorum creberrimus contra varii generis Hæreticos, in tradendis etiam summis fidei mysteriis usus est, suis tamen non carens difficultatibus, ex variâ, qvæ apud varios obtinet, acceptione, haud raro oriundis. Mox enim, communi qvasi consensu, aliter Patres Græci, aliter Latini voce Ecclesiasticâ utuntur, mox, vel Græci, vel Latini, unum eundemq; terminum, nunc in hac, nunc aliâ usurpant significatione. Ut igitur mens Patrum genuina patere hoc qveat in passu, necessarium est, varias terminorum, & Biblicorum & Ecclesiasticorum acceptiones, probe cognitas habere, & ex antecedentium cum conseqventibus collatione, judicium de acceptione, qvæ in Auctore exponendo ex ipsâ ejus intentione obtinere debet, proferre.

III. Exemplo terminorum Biblico-Ecclesiasticorum rem ut illustremus, notius est, qvam ut pluribus deducatur, qvod prævio ipso Scripturæ ductu (b), adeoqvè termino formaliter Biblico, SECUNDA SS. TRINITATIS PERSONA, Σοφία seu SAPIENTIA, PERSONALIS scilicet, dicatur; *Sapientia*, (ceu Gregorius ait (c) Nazianzenus:) *ut rerum divinarum & humanarum scientia. Qui enim fieri potest, ut conditor rerum à se conditarum rationes ignoret*; TERTIA vero SS. TRINITATIS PERSONA, SPIRITUS SANCTUS appelletur; adeo, ut Chrysostomus de hac ipsâ pronunciet appellatione (d): *Hæc est propria & prima appellatio,*

(b) Prov. IIX. conf. Lucæ XI. 49. & Joh. I. 32. (c) *Orat. 2. de Filio* qvæ est XXXVI. (d) *Homil. LXXII.* de Spiritu S. T. VI.

tio, qvæ expresse & significanter declarat Spiritus Sancti naturam; & Gregorius Nazianzenus (e): *Proprium nomen ejus, qvi citra generationem processit, aut progreditur, Spiritus S.* ac alibi (f): *Vere sanctus est Spiritus S. neqve enim alius talis est, nec eodem modo, neqve ex accessione Sanctitatem habet, sed est ipsamet Sanctitas, nec magis & minus, nec qvoad tempus originem unqvam habuit, nec finem habiturus est.*

IV. Patrum verò si pervolvamus Scripta, SPIRITUS S. vocabulum, & FILIO DEI, SAPIENTIÆ autem titulum, etiam SPIRITUI S. tribui, adeoqve ob communem utriqve personæ, tum Essentiam divinam, tum arcanam à PRIMA PERSONA emanationem, nomina etiam communia vetustæ Doctores Ecclesiæ aliqvando fecisse deprehendemus.

V. Natura certe Christi Divina, per qvam DEO Patri ὁμοούσιος est, qvòd Patribus titulo SPIRITUS veniat, vel solus docere posset Ignatius (g), Smyrnæis suis exoptans: ἐν ἀμώμῳ πνεύματι, λόγῳ θεοῦ πλεῖστα χαίρειν; id est, juxta translationem veterem: *in incoinqvinato spiritu & verbo DEI*, seu, Filio DEI, qvi & Spiritus incoinqvinatus, & verbum DEI dicitur; *plurimum gaudere.* Similiter Auctor Epistolæ, nomen Barnabæ præferentis (h): *Dominus* inqvit *ipse, pro peccatis nostris incipiebat vas* SPIRITUS *sui* (id est humanitatem, in qva Spiritus seu divinitas, ut in vase recipi dicitur;) *offerre hostiam.* Irenæus qvoqvè (i), Divinam Christi naturam, SPIRITUM vocat SALVATORIS, itemqve SPIRITUM DEI, scribens, (k): *si hominis tantum* (Christus) *speciem præbebat, cum homo non esset, sane neqve id, qvod vere erat, hoc est,* DEI SPIRITUS *remanebat; in fine Ver-*

(e) *Homil. 36.* (f) *Orat. 23.* (g) *in Inscriptione Epistolæ ad Smyrnæos* p. 1. (h) C. 6. (i) Lib. IV. c. 37. (k) lib. V. c. 1.

Verbum Patris & Spiritus DEI adunitus antiqvæ substantiæ plasmationis Adæ, viventem & perfectum effecit hominem. (*)

VI. Imò, non primi denominationis hujus Auctores fuere Patres, qværenda potius origo ejusdem in ipso venit Novi Testamenti codice, qvippe in qvo (l) freqventer adeo Spiritus vocabulum divinitatem Christi denotat, ut regulam inde exegeticam his formaverit verbis B. Schomerus (m): SPIRITUS, *cum in persona Christi opponitur carni, significat divinitatem & majestatem divinam carni communicatam & unione Personali, & unitione Spiritus S. itaqve Christus dicitur* (Hebr. IX. 14.) *se obtulisse DEO per spiritum æternum i. e. vi æternæ Deitatis, qva gaudebat ex unione personali, qva passio humanæ naturæ & dignitatem illam accepit, ut pro mundi peccatis sufficeret.*

VII. TERTIAM verò SS. TRINITATIS PERSONAM, qvæ SPIRITUS S. communiter audit, sub nomine etiam Σοφίας, seu SAPIENTIÆ indigitari, Origenes doceat, *contra Celsum* scribens (n): *Esto etiam DEus* (Pater) *contemplatu difficilis; verum non solus, sed & ejus unigenitus. Est enim difficilis contemplatu DEus Verbum, difficilis similiter & SAPIENTIA, in qvâ DEus creavit omnia; qvis enim eam per singula creatoris opera considerare valeat?* similiter Irenæus: *Hic*, inqvit (o) *Filius, qvi est Verbum DEI ab initio præstruebat, non indigente Patre Angelis, uti faceret conditionem & formaret hominem, propter qvem & conditio fiebat: neqve rursus indigente ministerio ad fabricationem eorum qvæ facta sunt; ad dispositionem eorum negotiorum, qvæ secundum hominem erant, sed habente copiosum & inenarrabile mini-*

 sterium.

(*) v. locum Tertulliani p. 4. adductum, & Cyprianum *de Idolorum vanitate.* (l) v. Marci II. 8. Joh. VI. 63. 56. Rom. I. 3. 4. 1 Tim. III. 16. 1 Petr. III. 18. 19. 20. (m) in Collegio MSS. Exegetico in Epistolas N. T. ad Hebr. IX. 14. (n) lib. VI. (o) lib. IV. c. 17.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732463483/phys_0013
DFG

sterium. Ministrat enim ei ad omnia sua progenies & figuratio sua, id est Filius & Spiritus S. Verbum & SAPIENTIA; qvibus serviunt & subjecti sunt omnes Angeli. Et alibi (p): *Solus unus DEus fabricator, hic est, qvi super omnem principalitatem & dominationem & virtutem, hic Pater hic DEus, hic conditor, hic factor, hic fecit ea per semetipsum, hoc est, per Verbum & SAPIENTIAM SUAM cœlum & terram & omnia, qvæ in eis sunt*; ac denuò (q): *Non ergo angeli potuerunt imaginem facere DEI, nec alius qvis præter Verbum Domini, nec virtus longe absistens à Patre universorum. Nec enim indigebat horum DEus ad faciendum, qvæ ipse apud se præfiniverat fieri, qvasi ipse suas non haberet manus. Adest enim ei semper Verbum & SAPIENTIA, Filius & SPIRITUS, per qvos & in qvibus omnia libere & sponte fecit, ad qvos & loqvitur dicens: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram; Ipse à semetipso substantiam creaturarum & exemplum factorum & figuram, in mundo ornamentorum accipiens.* Eodem modò Theophylus Antiochenus (r) exponendus est, qvando tres, qvi solis & lunæ creationem præcesserunt, dies, typos fuisse ait *Trinitatis*, videlicet *DEI* (Patris) *& Verbi ipsius, & SAPIENTIÆ ipsius.*

VIII. In rationes hujus denominationis inqvisiturus Petavius (s): *Spiritus*, inqvit, *S. idcirco dici sapientiæ putandus est, qvod ab illo Sapientiæ donum in angelos hominesqve diffunditur --- qvoniam eximium illud ac cœleste Sapientiæ donum, qva bonum est, & à DEO nobis cum singulari bonitate & charitate communicatur; efficientiæ Spiritus S. proprium est; ideo fons ipse sapientiæ, ut & donorum reliqvorum metonymice eodem illo vocabulo interdum afficitur. Possent & aliæ causæ suppetere appellationis istius, velut qvod sapientia,*

(p) lib. II. c. 55. (q) lib. IV. c. 37. (r) *lib. II. ad Autolycum.* (s) *de Trinit.* l. VII. c. 12. n. 17.

pientia, qvæ donum DEI est, & humana, qvalis erat in Philosophis Gentilibus, opponitur; cum amore DEI & charitate conjungitur, uti S. Thomas exponit. Qvare eodem jure sapientia denominatur Spiritus S. qvo amor & charitas. Qvodsi naturam ipsam, proprietatemqvè sapientiæ spectes; cum ad intellectum pertineat & sit cognitio qvædam; peculiaris est ejus appellatio DEI Filio, atqve Verbo, Spiritui verò non nisi extrinsece, &, ut ita dicam causative.

IX. Sic igitur qvando constat, sub SPIRITUS pariter ac SAPIENTIÆ vocibus, nunc TERTIAM TRINITATIS PERSONAM, nunc SECUNDAM indigitari, ex antecedentium cum conseqventibus collatione, qvæ obtinere debeat, acceptio est determinanda, ipsaqvè Patrum mens legitime interpretanda.

X. SPIRITUS certè vocabulo, Deitatem Christi Patribus aliqvando denotari, si observasset Daniel Zwickerus, ad eludendum Hermæ (qvem ipsemet Auctorem agnoscit) de Filii DEI præexistentia testimonium hoc (t): *Filius qvidem DEI, omni creatura antiqvior est, ita, ut in consilio Patri suo adfuerit ad condendam creaturam*; non scripsisset (u): *Incertum prorsus est, utrum, dum in similitudine nona Filium DEI omni creatura antiqviorem asserit*, (Hermas) *per Filium DEI Christum intelligat*; imò audacter alibi (w): *Spiritus S. ab Herma tum in simil. 5. tum alibi Filius DEI appellatur*; qvoniam loco allegato, qvando Hermas: *Filius DEI* inqvit *Spiritus S. est*, non tertiam Trinitatis personam, Filium DEI vocat, sed divinitati secundæ Trinitatis personæ, Spiritus titulum tribuit, ac si diceret: Filius DEI veram habet naturam divinam.

 XI. Simi-

(t) in pastore similit. 9. (u) *in Irenico Irenicorum S. reconciliatoris Christianorum hodiernorum norma triplici, Sana omnium hominum ratione, Scriptura S. & traditionibus.* p. 21. (w) l. c. p. 13.

Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn732463483/phys_0015 DFG

XI. Similiter SAPIENTIÆ nomine, Spiritum S. ſcriptoribus vetuſtis interdum venire, ſi, uti norat optimè, in memoriam ſibi revocaſſet, Petavius, iniqviſſimam Theophylo Antiocheno dicam ſcribere auſus non fuiſſet: *Trinitatem* inqviens (x), *longe aliter explicat Theophilus, qvam Chriſtiana fert profeſſio. Siqvidem tres illas dies, qvi, in mundi ortu, ſolis ac lunæ procreationem antecesserunt, figuram ait Trinitatis, nempe DEI, & Verbi ipſius & ipſius Sapientiæ. Ibi mentio nulla Spiritus, qvem cum τῷ λόγῳ confudiſſe videtur. Eundem qvippe λόγον & πνεῦμα τοῦ Θεοῦ & vere σοφίαν appellaſſe, ſuperius oſtendimus*; ſiqvidem plana Trinitatis confeſſio in verbis Theophyli ſuperius N. VII. adductis, ad qvæ Petavius reſpicit, appareat, dummodo per σοφίαν intelligatur Spiritus S., qvem omnino ex mente Auctoris intelligi debere, integra textus connexio ſvadet.

XII. Cæterùm ex iniqvis hujusmodi Patrum interpretationibus, planum evadit, optimis qvibusqvè Scriptoribus Eccleſiaſticis, haud raro, ullam citra culpam ſuam, ex ſtyli plerumqvè, qvo utuntur, vel ignorantia, vel minus ſollicitâ obſervatione, heterodoxiæ labem, aut locutionis minimùm incommodæ vitium tribui, cùm tamen, qvod adeſt vitii, non Patribus, ſed lectori, in ſcriptis Patrum minus verſato, debeat imputari. Magna proinde opus eſt cautione præviâ, anteqvam ad ſiniſtra de Patrum orthodoxia deſcendatur judicia, qvam, ſi debita, qva fas erat, pietate & prudentia Zwickerus & Sandius obſervaſſent, optimorum famam Patrum, non turpiter adeò proſtituere, orbiqve erudito, inauditâ prorſus impudentiâ imponere auſi fuiſſent; ſed de his plura DEO volente occaſione alia, nobis in præſenti ſe offert:

OBSER-

(x) lib. I. de Trinit. c. 3. n. 6.

OBSERVATIO III.

CONVENIENTEM, VOCABULORUM, QVÆ NUNC IN BONAM ACCIPIUNTUR NUNC MALAM PARTEM, INTERPRETATIONEM injungens.

I. QVemadmodum lingvæ celebriores qvæcunqvè aliæ, non deſtituuntur vocabulis, qvæ, qvòd in bonam nunc, nunc in malam accipi partem poſſint, *media* dici conſveverunt; ſic Græca inſpecie & Latina lingva, vocibus abundant, qvæ vel benè mox, vel malè ſumi qveunt, vel olim minimùm, bonitatis, poſt, temporis ſucceſſu malitiæ indicium præbuere, ex uſu non profanorum modo, verum Eccleſiaſticorum etiam Scriptorum, qvorum ſi mens ritè debeat intelligi, neceſſarium eſt cognitas hujusmodi voces habere, convenientemqvè earum interpretationem ex antecedentium cum conſeqventibus collatione haurire.

II. Exempli nobis loco, ſit Græcorum Αἵρεσις, qvæ in ſignificatu famoſiori, ex Patrum choro, Græcis, denominat αἱρετικὸς ſeu eos, *qvi contraria orthodoxæ fidei ſentiunt, ſive jam olim fuerint abdicati, ſive non ita pridem, ſive cum antiqvis, ſive cum novis hæreſibus commercium habeant*, ut Zonaras (a) commentatur; Latinis, (qvippe à qvibus dudum jam civitate donari cœpit,) HÆRETICOS, *qvorum*, ut ait Cyprianus (b), *pectora & mentes diabolus obſedit, ut venenatam rabiem ſuam qvotidiè furioſâ voce teſtentur*, (c) *ſubvertant fidem, veritatem corrumpant, ſcindant unitatem.*

(a) *ad Canon. VI. Concilii Conſtantinop.* (b) Ep. 55. (c) *de Unitate Eccleſiæ Catholicæ* ſub initium.

Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn732463483/phys_0017 DFG

III. Hâc verò in malam tendente partem acceptione, utut freqventiori, non obstante, aliqvando & benè capitur αἵρεσις, ac potissimùm, vel pro libertate aliqvid eligendi, vel ultroneà sententiæ de re qvadam dubiâ professione.

IV. Priori sensu Chrysostomus (d) ait: *illud: qvi capere potest capiat* (e), κύριον τὸν ἀκεραιὸν τῆς αἱρέσεως πιστεύειν ἐστὶν; *liberum auditori optionem facientis est*; qvemadmodum eadem ratione LXX. Interpretes, ultroneam hominis sacrificium oblaturi voluntatem, obligationi voto factæ contradistinctam, per αἵρεσιν expressere (f).

V. Posteriorem intendit significationem Basilius (g), scribens. *Ego, siqvidem nullum fratribus*, τῆς ἐμαυτοῦ περὶ τὸν θεὸν αἱρέσεως, *istius sententiæ meæ de DEO experimentum dedi, nè nunc qvidem habeo, quod respondeam.*

VI. Ad imitationem Græcorum, Patres Latini, termino SECTÆ, nunc in bonam nunc malam utuntur partem.

VII. Mala acceptio recentiori invaluit ætate, sed antiqvissimis temporibus freqventissimè bonam in partem capitur, Tertulliano præcipue, &, qvi hunc, ceu *Magistrum* veneratus est, Cypriano. Hinc enim Ille *SECTAM Christianorum*, Catholicam appellat (h), Ecclesiam; & de Christianis gloriatur (i): *Sangvine empti, sangvine numerati, nullum nummum pro capite debemus, qvia caput nostrum Christus est. Non decet Christum pecuniâ constare. Qvomodo & martyria fieri possent in gloriam Domini, si tributo LICENTIAM SECTÆ* (id est permissum Religionis Christianæ, qvo-

(d) De *Virginitate* C. 41. (e) Effatum nempe Salvatoris Matth. XIX. 12. (f) Levit. XXII. 18. 21. (g) Epist. 33. (h) de fuga in persecutione. (i) l. c.

qvoniam & LICENTIÆ & SECTÆ vox in bonam ei accipitur partem.) *compensaremus.* Hic autem, Celerinum (k) deprædicat: ut *confessorem moderatum & cautum & humilitate ac timore SECTÆ nostræ* (i. e. Religionis Christianæ) *verecundum*; alibiqve (l): *Dominum* ait *in ejusmodi Confessoribus gloriari, qvorum SECTA & conversatio sic proficit ad præconium gloriæ, ut magisterium cæteris præbeat disciplinæ.* Imo *Libri tertii testimoniorum ad Qvirinum* præfationem adornaturus, Scripturæ SS. de fidei dogmatibus morumqvè præceptis testimonia, vocat *capitula ad religiosam SECTÆ nostræ disciplinam pertinentia.* Plura possemus adjicere, nisi urgeret nos:

OBSERVATIO IV.

DILIGENTEM TESTIMONIORUM BIBLICORUM, A PATRIBUS ALLEGATORUM, AC TITULORUM, SUB QVIBUS CANONICI SCRIPTURÆ V. ET N. T. LIBRI, PASSIM AB IISDEM CITANTUR, ANIMADVERSIONEM

deprædicans.

I. ILlustria tot antiqvæ Doctorum Ecclesiæ monumenta, singulari Numinis benignissimi providentiâ posteritati reservata, si non alio commendari possent argumento, qvàm, qvòd plurima scripturæ canonicæ effata, ad qvæ toties totiesqvè, variâ occasione suppeditatâ, provocant, illibatè sisterent, vel solus hic usus, incomparabilis adeò foret censendus, ut omnis profanorum, qvæ supersunt, scriptorum numerus, nè unicum, Patris, dicta commemorantis Biblica, opusculum, suo æqvare pretio possit.

II. Constat enim Eruditos inter, qvòd, ubi v. g. vario-

(k) Ep. 22. (l) Ep. 34.

variorum N. T. Codicum inspectio, dubiam textus alicujus reddit lectionem, felicissimum, ad vindicandam ejus auctoritatem, subsidium, ex Patribus, qvi loco in dubium vocato, ad instar testimonii fuere usi, qveat depromi (a).

III. Qvo præstantior verò laudatus hic usus est, eo diligentius, & loca Scripturæ V. ac N. T. canonicæ, à Patribus producta, veniunt observanda (b), &, ut illa possint observari, variantes, sub qvibus canonicos V. & N. T. libros passim Patres allegant, tituli sunt colligendi.

IV. Nonnunqvam enim Scripturæ proferunt effata, generalissimè, provocando, vel ad SPIRITUM S. ceu Auctorem Scripturæ (c), vel ad SCRIPTURAM (d), vel ad Amanuensem, qvo in conscribendo Canonico, qvi citatur, Libro, uti Spiritus S. voluit (e), vel ad SPIRITUM S. adjectis simul, seu amanuensis divini compellatione (f), seu vulgato libri titulo (g); vel ad CHRISTUM (h); nonnunqvam

(a) Exemplo sit celeberrimum de *plena & adunatâ Trinitate* (ut Phrasi loqvar Cyprianæa v. Ep. 73.) Testimonium I Joh. V. 7. cujus auctoritas Divina invictè declaratur vel ex solo Cypriano, qvi ad illud expresse provocat Ep. 73. p. 125. ac de unitate Ecclesiæ Catholicæ p. 181. Ed. Rigaltianæ (b) Hinc optimis Patrum Editionibus, plenissimi subjiciuntur indices, citata Scripturæ loca in compendio repræsentantes. (c) Ut sæpe facit Cyprianus. (d) Freqventissimum id est Græcis pariter ac Latinis, adeò, ut libros etiam Apocryphos, imo Ecclesiasticos alios, in codice Biblico nè qvidem comprehensos, v. g. *Pastorem Hermæ, L. assumptionis Mosis, L. Sermonum mysticorum Mosis* sub elogio citent SCRIPTURÆ; v. diss. nostram de *Scripturæ auctoritate ex interno spiritus s. testimonio derivata.* (e) Celebriores inter hos esse solent: MOSES, DAVID, SALOMON, PAULUS. (f) Sic Cyprianus Ep. 55: *Per Salomonem loqvitur Spiritus S.* (g) Sic Cyprianus Ep. 8. *Scriptum* inqvit *est in Psalmis Spiritu S. loqvente ad nos pariter & monente* & Ep. 70: *In Psalmis præmonuit Spiritus S.* (h) Sic Cyprianus, testimonia producturus ex corpore Historiæ Evangelicæ, sæpe provocat ad *Dominum in Evangelio dicentem.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn732463483/phys_0020
DFG

qvam ſpecialius, libros, ex qvibus producunt teſtimonia, nominant, ſub titulis, vel receptis, vel minus conſvetis.

V. Receptis utitur titulis creberrimè Cyprianus, ut qvando v. g. citat EVANGELIUM κατὰ MATTHÆUM (i), EVANGELIUM κατὰ MARCUM (k), EVANGELIUM κατὰ LUCAM (l), EVANGELIUM κατὰ JOHANNEM (m). Minus autem conſveti, & apud eundem haud raro occurrunt tituli, ut qvando producit: *Dominum* IN DUODECIM PROPHETIS *dicentem* (n), *Salomonem in* PAROEMIIS (o), id eſt proverbiis, qvæ Græcis dicebantur παροιμίαι; Proverbia Salomonis, ſub titulo SAPIENTIÆ SALOMONIS (p), Epiſtolam I. Petri, ſub nomine EPISTOLÆ PETRI AD PONTICOS (q); alia aliorum ut nunc loca prætermittamus, cum reſtet adhuc:

OBSERVATIO V.

ONOMATOLOGICUM IN VOCIBUS EXPONENDIS DIFFICILIORIBUS EXAMEN ſvadens.

I. CUm *nomen*, pronuntiante Scaligero (a), *qvaſi novimen, & imago qvædam, qvâ qvid cognoſcimus, inſtrumentumqvè cognitionis ſit*, ut in interpretandis Auctoribus qvibuscunqvè aliis, ſic Eccleſiaſticis in ſpecie, non exiguum præbere poteſt adminiculum, examen vocabulorum, qvibus ſuam ſcriptores mentem exprimunt, onomatologicum, qvo in etymologiam vocis difficilioris inqviritur, homonymia ejus indagatur, & Synonymia colligitur, ut de ſenſu, qvo ab Auctore, qvi ex-

C planan-

(i) Teſtimoniorum L. I. adverſus Judæos. (k) l. c. L. III. (l) l. c. L. II. (m) l. c. L. II. (n) Ep. 55. citans Hoſeæ IX. 4. (o) Teſtimoniorum L. II. (p) L. III. Teſtim. producens Prov. XV. 3. id qvod facit & Hieronymus *I. Dial. adv. Pelag.* adde *Septenariū* noſtrū *Obſervationū Philologicarum, obſerv. 7.* (q) Teſtim. L. III. producens. I. Petri III. 34.

(a) De *Cauſis Ling. Lat.* L. IV. C. 76. p. 165.

planandus est, adhibita fuit, probatum sic formari judicium possit.

II. Exemplo rem ut illustrevius, celebris inter Eruditos agitatur qvæstio, utrum Sospitator noster Optimus Maximus, qvem, uti in tempore ex virgine Mariâ natum, sic ab æterno ex Essentia DEI Patris genitum, profitemur, qvoad naturam Divinam dici qveat αὐτόθεος.

III. Affirmant qvæstionem, ex Patribus Græcis, qvotqvot hunc Filio DEI titulum assignarunt. Hinc enim Origenes: *Sciant* inqvit (b) *isti criminatores* (qvi cum Celso Christianis objiciebant, qvod absurdi sint, dum *JEsum mortali corpore constantem credant esse DEum, idq; piè sibi videantur facere;*) *qvod hic JEsus, qvem ab initio DEum Deiq; Filium esse credimus,* ὅτος ὁ αὐτόλογος ἐστὶ, καὶ ἡ αὐτοσοφία, καὶ ἡ αὐτοαλήθεια; *ipse sit verbum, ipsa veritas, ipsa sapientia.* Similiter Epiphanius (c) ait: *DEus Verbum in se ipso omnem habens perfectionem;* αὐτοτέλειος ὢν, αὐτόθεος ὢν, αὐτοδύναμις, αὐτονοῦς, αὐτοφῶς; *per se perfectum existens, per se DEus existens, per se potentia, per se mens, per se lux;* & clarissimè, *Oratio panegyrica de ædificatione Ecclesiarum Paulino Tyriorum Episcopo dicta*, apud Eusebium (d) deprædicat: qvod *Servator noster JEsus Christus solus, ex omnibus, qvi ab omni ævo unqvam extiterunt, ab ipsis orbis terrarum summis principibus, non ut Rex vulgaris ex hominibus factus, prædicetur, sed tanqvam summi omnium DEI naturalis Filius, ac* αὐτόθεος, *per se DEus adoretur. -- Qvid enim obsistere poterat nutui ac voluntati Verbi omnium Regis ac Principis,* καὶ αὐτοῦ θεοῦ *ac perse DEI* (e). IV.

(b) L. III. contra Celsum. (c) hær. 77. (d) L. X. H. E. C. 4. (e) Qvem locum tanti facit Valesius, ut in *Annotationibus* ad eum p. 191. b. scribere non dubitaverit: *Notandus est inprimis hic locus, in qvo Eusebius Christum vocat* αὐτόθεον, *id est, per se ac verè DEum. Hic enim unicus locus, meo qvidem judicio, sufficit ad repellendas omnes calumnias eorum, qvi Eusebium nostrum Ariani dogmatis labe aspersum fuisse crediderunt.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn732463483/phys_0022
DFG

IV. Negativam contra, catholica videtur defendere Ecclesia, qvando profitetur in Symbolo Nicæno Constantinopolitano, se credere in *unum Dominum JEsum Christum, Filium DEI unigenitum, ex Patre natum ante omnia secula: DEum de DEO, lumen de lumine, DEum verum, de DEO vero*; qvemadmodum & Origenes (f), verba Salvatoris ex Joh. XVII. 3. *ut agnoscant te, illum Solum verum DEum*, sic exponit, ut solum Patrem dici velit αὐτόθεον, adjiciens, qvod, *qvicqvid præter hunc, qvi αὐτόθεος dicitur, est*, (in Divinitate) *participatione & communione divinitatis illius deificatum sit*, refutatis tamen mox iis, qvi *negant Filii divinitatem, ponentes ipsius proprietatem & substantiam per descriptionem existere aliam à Patre.*

V. Sed plana evadit Patrum mens, si vocabulum αὐτόθεος Onomatologicè, qvoad Etymologiam, Homonymiam, & Synonymiam exponamus.

VI. Qvemadmodum enim etymologiæ scrutinum, ex pronomine αὐτὸ, & Substantivo, θεὸς, vocem conflari αὐτόθεος docet; sic homonymiæ ostendet evolutio, substantivum θεὸς, licet aliàs haud raro minus propriè capiatur, hic tamen propriissimè sumi debere, at pronomen αὐτὸ, qvatenus cum substantivo θεὸς componitur, dupliciter posse exponi, vel, ut ipsissimam rei notet veritatem, vel, ut ad arcanam Personæ secundæ à Prima, per generationem, & Tertiæ, à Primâ & Secunda, per spirationem, respiciat emanationem, eamq; de Prima SS. Trinitatis Persona, cum prædicatur αὐτόθεος, neget. Qvodsi pronomen αὐτὸ, non in posteriori, sed priori accipiatur sensu, rectissimè dicitur, uti Filius DEI, sic & Spiritus S. αὐτόθεος i. e. verus ipsissimusq; DEus cum Patribus n. 3. citatis; ubi verò posterior servari debet significatio, solus Pater est αὐτόθεος, qvia, ut Symbolum loqvitur Athanasianum *Pater à nullo est factus, nec creatus nec genitus*; cum tamen *Filius à Patre solo sit, non factus, nec creatus, sed genitus; Spiritus S. à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.*

VII. Hinc ullâ sine contradictione, Origenes, in posteriori acceptione, solum Patrem, in priori, & Filium, salvâ æterna ejus ex Essentiâ Patris generatione, αὐτόθεον dixit, cujus tamen, ut & Patrum aliorum eodem cum ipsomet modo loqventium, mens, clarius patebit, si vocabula colligamus tituli hujus Synonyma, n. 3. jam exhibita, qvibus nunc modo addimus illu-

(f) in *Johannem* pag. 47. Editionis Huetianæ.

strem locum alium (g), qvo profitetur Origenes, qvod *Filius hominis unitus sit sapientiæ, cum ipse sit* αὐτοσοφία, *ipsissima Sapientia, vel, ut vocant,* αὐτυιός, *ipsissimus DEI Filius;* unde planum evadit ac manifestum, αὐτυιὸν dici Christum qvà Divinitatem, non, qvia à seipso Filius est (qvippe qvod contradictionem importaret in adjecto;) sed qvia ipsissimus, seu verissimus, genuinus ac germanus DEI Filius est.

IIX. Dignissima sunt, qvæ coronidis loco adjiciamus, verba incomparabilis Rostochiensium Theologi, Joh. Affelmanni, eruditissimè commentantis (h): *Hunc loqvendi modum* (qvo Christus dicitur αὐτόθεος) *Bellarminus l. 2. de Christo cap. 19. reprehendit in Calvino, &c. græcorum Patrum auctoritate motus. Verum nihil in eo absurdi esse, demonstramus hoc modo: Si Christus recte dicitur* αὐτάγαθος, αὐτοσύστατος, αὐτυπόστατος, αὐτοτέλειος, αὐτογενὴς, αὐτόζωον, *qvidni eodem modo rectè* dicatur αὐτόθεος, καὶ αὐτοθεός. *At prius etiam ipse Bellarminus negare non poterit, Ergò nec posterius. Objectionibus Bellarmini, qvas adfert, vel, si qvæ aliæ adferri possunt, aut unqvam poterunt, sic occurro, ut distingvam, respondendo: Essentiam Divinam considerari dupliciter, aut qvoad se, seu qvoad suum esse, aut qvoad sui communicationem, seu habendi modum. Qvoad suum esse, nullum habet sui principium. Nam hoc simpliciter pugnat cum essentia divina, ut vel temporis vel originis, vel ordinis principium habeat. Qvod verò ad sui communicationem, & habendi modum attinet, dicimus, essentiam principium habuisse â Patre in Filio, nam est â Patre Filio communicata. Priori respectu Filius etiam est* αὐτόθεος, *Posteriori, solus Pater. II.* αὐτόθεον *esse, opponitur aut productioni personali, aut temporali. Priori sensu, solus Pater est* αὐτόθεος: *Posteriori & Filius & Spiritus S. qvia ipsa divina essentia nihil aliud est, qvam* αὐθεότης, *hoc est divinitas increata, æterna, omne aliud & diversum principium excludens, qvæ sibi ipsi, & per se ipsam, & in se ipsa est qvod est. Undè hoc oppono Jesuitæ argumentum: Si ipsa divina essentia est numero una, omnibusq; in Trinitate personis communis, seqvitur, ut, qvia Pater est* αὐτόθεος, *propterea, qvod essentia ejus increata est, nec aliundè esse cœpit; etiam Filium esse* αὐτόθεον *ejusdem essentiæ respectu, qvia habet illam ipsam, qvam Pater. At prius est. Ergò. Breviter: Filius non* αὐτόθεος *absolutè ut Pater, sed respectivè, qvatenus productio temporalis excluditur, & increata Deitatis essentia includitur.* Tantum hac vice sit pro concessis Divinæ Gratiæ auxiliis. S. D. G.

(g) *in Johannem.* p. 416. (h) *Syntagm.* P. I. p. 112.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn732463483/phys_0024
DFG

CONSPECTUS.

PROOEMIUM.

COmmendat (1) studium Antiqvitatis Ecclesiasticæ, & Patrum in specie lectionem, ac adminicula, ad hanc juvandam. N. I.

Dolet (2) Hermeneuticam desiderari Patristicam, ejus tamen defectum compensare monet, Expositiones Patrum, studio Virorum Eruditorum elaboratas. N. II.

Qvem in finem (3) Virorum, de Patribus optimè meritorum, ex Lutheranis, Reformátis, ac Pontificiis, qvosdam nominatim laudat. N. III.

Speciminis loco (4) nunc promittens communicationem PENTADIS OBSERVATIONUM PHILOLOGICARUM, qvæ à laudatis commendatæ ac observatæ passim fuerunt auctoribus. N. IV.

TRACTATIONIS

ergò facit initium:

OBSERVATIO I.

Sedulam Patrum inter se, ac Latinorum præcipuè cum Græcis, collationem commendans.

Hæc docet (1) Qvinam *Patres* dicantur & qvare? N. I.

Qvo sensu (2) in Græcos & Latinos distingvantur? N. II.

Ac, qvoniam Catholica fides una est, à Græcis pariter ac Latinis servata, hinc deducit (3) eandem tàm ex his, qvàm illis declarari, Latinosqvè cum Græcis conferri debere. N. III.

Exempli (4) loco, producit Tertullianum, præ aliis obscuriorem. N. IV.

Et ex illo (5) testimonium, de duabus in Christo naturis, in qvo dubium movet assertio, qvæ Christum profitetur *hinc natum, inde non natum*. N. V.

Qvod (6) solvitur, institutâ collatione, cum loco Ignatiano, & adjectâ interpretatione Athanasii, ex qvâ concluditur, dicere voluisse Tertullianum; *hinc factum, inde non factum*. Seqvitur:

OBSERVATIO II.

Accuratum, variantium acceptionum, qvibus unus idemq; gaudet, indeq; diversimodè ad summa etiam fidei mysteria applicatur, terminus, scrutinium inculcans.

Illa (1) monet, in rebus fidei usurpari posse terminos, non Biblicos modò, verum & Ecclesiasticos. N. I.

Difficultatem (2) circa usum eorum obviam, ex variâ deducit acceptione, in Patribus Græcis ac Latinis, nunc universaliter, nunc particulariter obtinente, unde adminiculi loco commendat, variarum acceptionum scrutinium. N. II.

Subjicit exempli loco (3), Voces *Sapientia* ac *Spiritus S.* qvarum communiter illa Secundæ, hæc Tertiæ SS. Trinitatis Personæ tribui solet. N. III.

Observat (4), aliqvando hæc nomina Patres facere communia, adjectâ ratione. N. IV.

Sic, ut Divinitati Christi tribuatur denominatio *Spiritus*, tàm in Scriptis Patrum. N. V.

Qvam in N. T. N. VI. Contra tertiæ SS. Trinitatis Personæ, titulus *Sapientia*. N. VII.

Cujus rationes denominationis Petavius suppeditare conatur. N. IIX.

Concludit hinc (5) de acceptione, qvæ ex variantibus obtinet, judicium ferri debere, consideratis antecedentibus & conseqventibus. N. IX.

Taxat ideò (6) Zwickerum, ex neglectâ hâc observatione, Hermæ hæresin affingentem. N. X.

Et Petavium, qvi Theophilum Antiochenum iniqvè reprehendit. N. XI.

Deducit (7) ex his, qvàm erebrò ex ignorantiâ Styli Patristici, errores, aut locutiones incommodæ, Patribus affingantur, debitamqvè prudentiam & cautionem commendat. N. XII. Subjungitur:

OBSERVATIO III.

Convenientem vocabulorum, qvæ nunc in bonam accipiuntur, nunc malam partem, interpretationem injungens.

Qvæ

Qvæ (1) docet, uti lingvis aliis, sic & Græcæ ac Latinæ, vocabula esse media, ex usu Scriptorum, tàm Profanorum qvàm Ecclesiasticorum. N. I.

Exempli (2) loco producit vocabulum αἱρέσεως, qvod freqventissimè in malam sumitur partem, & Græcis & Latinis. N. II.

Aliqvando tamen Græcis, & in bonam; N. III.

Vel pro libertate aliqvid eligendi; N. IV.

Vel pro ultroneâ sententiæ, de re dubiâ qvadam, professione. N. V.

Addit (3) vocis *Secta* consideratione. N. VI.

Qvippe qvæ, utut recentiori ætate in malam usurpetur partem, in bonam tamen antiqvissimis fuit temporibus usurpata. N. VII.

Adjicitur:

OBSERVATIO IV.

Diligentem testimoniorum Biblicorum, à Patribus allegatorum, ac titulorum, sub qvibus canonici Scripturæ V. & N. T. Libri, passim ab iisdem citantur, animadversionem deprædicans.

Ea docet (1) incomparabilem scripta Patrum præbere usum, asservatione Locorum Biblicorum, ad qvæ provocant. N. I.

Probat (2) usum hunc, ex subsidio, à Patribus hauriendo, in dubiâ textus alicujus lectione. N. II.

Unde (3) commendat observationem dictorum Biblicorum, à Patribus citatorum, ac titulorum, sub qvibus Libri V. & N. T. Canonici à Patribus citantur. N. III.

Ostendit (4) Patres nonnunqvam citare scripturam, generalissimè. N. IV.

Nonunqvam specialius, sub titulis peculiaribus, seu receptis, seu minus consvetis. N. V.

Colophonem imponit:

OBSERVATIO V.

Onomatologicum in vocibus exponendis difficilioribus examen svadens.

Docet ista (1) Nominum scrutinum, facere multum ad intelligendas res ipsas, unde ad intelligenda loca Patrum difficiliora, commendat, onomatologicum vocum, qvâ Etymologiam, Homonymiam & Synonymiam, examen.

Exempli (2) loco producit qvæstionem: utrum Filius DEI dici possit αὐτόθεος? N. II.

Adjicit (3) Affirmativam ex Origene, Epiphanio, & Eusebio. N. III.

Cùm tamen (4) negativa videatur esse orthodoxa, ab ipso etiam Origene commendata. N. IV.

Subjungit (5) dubii solutionem, ac Patrum conciliationem, vocabulum αὐτόθεος onomatologicè considerando. N. V.

Qvoad Etymologiam ac Homonymiam. N. VI.

Et Synonymiam N. VII.

Subjunctâ declaratione B. Affelmanni N. IV. qvæ OBSERVATIONI huicce, ut & PENTADI tegræ, imponit.

FINEM.

COROLLARIA RESPONDENTIS.

I. OMninò mirabatur olim orbis, se tam subitò factum esse Arianum, qvanqam inter hæreticos nunqvam fuerint numeräti, vel Arrius, vel Arriani, multominus Neo-Arriani.

II. Atheos dari speculativos, cum Calovio aliisq; rectè negatur, cum Hülsemanno autem, Scherzero, & consentientibus, rectè affirmatur.

III. Verba Act. XXVII. 13. ἄραντες, ἆσσον παρελέγοντο τὴν κρήτην; qvæ reddidit B. Lutherus: Erhuben sie sich gen Asson / und fuhren an Creta hin; redddenda sunt: Erhuben sie sich / und kamen näher an Creta; ἆσσον enim cùm adverbium sit comparativi gradus, ab ἐγγὺς propè, significat propiùs; neqvè tamen ideò arguendus est Lutherus.

ADDENDA.

Ad Observationem I. n. IIX. p. 5. Literam (h): Sic enim Athanasius Dial. II. de SS. Trinitate: *Nos*, inqvit, *Filium qvidem dicimus γεννητὸν, genitum, non verò γενητὸν, creatum; illud enim γεννητὸν est, qvod Patrem habet, γενητὸν verò, qvod creatorem habet.* Pag. 5. l. 11. pro: modò, modum.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn732463483/phys_0026
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn732463483/phys_0027
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn732463483/phys_0028
DFG

ſam contra, catholica videtur defendere Ec-
rofitetur in Symbolo Nicæno Conſtantino-
ere in *unum Dominum JEſum Chriſtum, Fi-
itum, ex Patre natum ante omnia ſecula: DE-
en de lumine, DEum verum, de DEO vero*;
& Origenes (f), verba Salvatoris ex Joh.
cant te, illum Solum verum DEum, ſic expo-
trem dici velit αὐτόθεον, adjiciens, qvod,
hunc, qvi αὐτόθεος dicitur, eſt, (in Divinitate)
communione divinitatis illius deificatum ſit,
mox iis, qvi *negant Filii divinitatem, ponen-
atem & ſubſtantiam per deſcriptionem exi-
re*.

dit Patrum mens, ſi vocabulum αὐτόθεος Onomato-
logiam, Homonymiam, & Synonymiam exponamus.
hodum enim etymologiæ ſcrutinum, ex pronomi-
vo, θεὸς, vocem conflari αὐτόθεος docet; ſic ho-
volutio, ſubſtantivum θεὸς, licet aliàs haud rarò mi-
, hic tamen propriiſſimè ſumi debere, at pronomen
ſubſtantivo θεὸς componitur, dupliciter poſſe expo-
rei notet veritatem, vel, ut ad arcanam Perſonæ ſe-
neationem, & Tertiæ, à Primâ & Secunda, per ſpira-
nationem, eamq; de Prima SS. Trinitatis Perſona, cum
, neget. Qvodſi pronomen αὐτὸ, non in poſteriori,
enſu, rectiſſimè dicitur, uti Filius DEI, ſic & Spiritus S.
piſſimusq; DEus cum Patribus n. 3. citatis; ubi verò
et ſignificatio, ſolus Pater eſt αὐτόθεος, qvia, ut
thanaſianum *Pater à nullo eſt factus, nec creatus nec
Filius à Patre ſolo ſit, non factus, nec creatus, ſed genitus;
Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.*
ſine contradictione, Origenes, in poſteriori acceptio-
riori, & Filium, ſalvâ æterna ejus ex Eſſentiâ Patris
dixit, cujus tamen, ut & Patrum aliorum eodem cum
ium, mens, clarius patebit, ſi vocabula colligamus
, n. 3. jam exhibita, qvibus nunc modo addimus illu-

n pag. 47. Editionis Huetianæ.